QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS

MANE' DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis ſeptimâ Martii 1709.

M. FRANCISCO VERNAGE,

DOCTORE MEDICO,

PRÆSIDE.

An ſano, varium vitæ Genus?

I.

SANITAS, ſine quâ nihil in vitâ ſuave eſſe poteſt, doloris vacuitate, actionumque corporis incolumitate diſcernitur. Stat partium primarum temperie; modulo ac normâ inſtrumentorum; atque amborum unione. Hanc inevitabiles caſus non raro opprimunt; ſæpiùs ſubvertunt errores, quos quiſque in vitæ inſtituto committit. Sunt qui fiduciâ ſecundæ valetudinis, illam, nullis aliàs violandam calamitatibus, ſic convellunt, ut miſeri antè diem non meritâ morte pereant. Alii contrà benè valentes, nè à bono illo ſtatu dejiciantur, contractum, curioſum, & uniuſmodi vitæ genus ſcrupuloſiùs ſervant: Tantus amor vitæ! Sed magnam morbis feneſtram aperiunt; ſi enim fortuitò vel aliqua neceſſitate à vitæ iſtius propoſito avellantur, repentina illa mutatio (omnis ſiquidem naturæ inimica) ex bonâ non bonam facit valetudinem.

Non alitèr quàm qui adverſo vix flumine lembum
Remigiis ſubigit: ſi bracchia fortè remiſit,
Atque illum in præceps prono rapit alveus amne.

Succedunt his alii longè conſultiores, qui firmam ſimiliter, inculpabilemque ſanitatem à naturâ ſortiti, ſuo potiùs jure, quàm Medicinæ legibus agere audent, variumque vitæ genus prudentèr ſequun-

182

tur; nè valetudinem res, quæ exteriùs urgent, non naturales ex facili violent. Quippè res ſolita minùs afficit; adeò ut inſueta, quæ per ſe quidem innocens ſit, hinc tamen nocens fiat. Ex quo profectò incidit, ut nihil majorem corporibus indolentiam ingeneret, quàm rerum omnium in communem vitam incidentium uſus: dummodò temperantia ſit comes; ac ſic optatiſſimum proviſionis genus ſit, ab iis quæ malum minantur, remedia mali quærere.

II.

VICTUS ratio ſeu vitæ genus aërem: cibum, potionem: vigiliam, ſomnum: motum, quietem: excreta, retenta: & animi pathemata complectitur. Hæ res, quas indiferentes vocant, modò ſalubres, modò inſalubres ſunt, tum ſuâ indole, tum ex utentis diſpoſitione & genio. Sanus & benè valens vario rerum illarum uſui aſſueſcat, nè inſueta aliqua moleſtiam afferat. Quod præceptum cùm aliis in rebus, tùm in aëre multùm poteſt. Ipſe verò climatum, ventorum, & anni tempeſtatum ratione mutabilis, quantoperè corpora demutat. Qui cælum mutant, graviſſimis ſæpè malis oppugnantur. Ventorum ſunt noxæ: Auſter auditum hebetat, caliginem inducit, caput gravat, &c. Aquilo tuſſes excitat, faucium aſperitates, &c. Hic ſiccitate, ille humiditate; in univerſum tamen ſiccitates humiditatibus præferendæ. Quid non anni tempeſtates deſignant. Ver licet ſaluberrimum ſuis non caret malis. Sua Æſtas, Autumnus, habent. Hyems malorum feraciſſima eſt, immani præſertim ſi frigore ſæviat: cujus vi

Concreſcunt ſubitæ currenti in flumine cruſtæ,
Undaque jam tergo ferratos ſuſtinet orbes;
Puppibus illa priùs patulis, nunc hoſpita plauſtris:
Æraque diſſiliunt vulgò, veſteſque rigeſcunt
Indutæ: cæduntque ſecuribus humida vina:
Et totæ ſolidam in glaciem vertère lacunæ:
Stiriaque impexis induruit horrida barbis.
Interea toto non ſeciùs aëre ningit:
Intereunt pecudes: &c,

Tunc contingunt Pleuritides, Eriſypelata pulmonis ſphacelo citiſſimè interimentia, quibus omnis ferè Medicina inutilis eſt: attoniti mali novitate cedunt Magiſtri; diſcutientia tamen medicamenta, ſudoremque moventia nonnihil proficere perhibent. Quoniam igitur tanta vis eſt aëris, danda opera eſt, ut quàm minimùm ejus corpori occurſus ſit inſolens: nimirùm, ut quod ſæpè ſuſtinendum neceſſariò eſt, id ubi incidit, facilè ſuſtineatur. Propterea conſultum eſt cuivis cælo aſſueſcere, ac modò ruri eſſe, modò ad urbem redire, interdùm æſtus, interdùm frigora ventoſque ſpontè experiri; deni-

que nullas non calamitates pro exploratis habere, nè quâ re novâ præterque ſolitum unquam corpus moveatur.

III.

CIBI atque potûs vis eſt aëri proxima ad corpus afficiendum. Idcircò quiſquis rectiſſimè valet, ſeſe ad cuncta genera ciborum & potuum, qui populo ſunt uſui, comparet; idque eâ de causâ nè offendatur, ſiquandò aliquâ adactum neceſſitate inſolitis uti oporteat. Igitur non uno in victûs genere diù perſiſtat; ſed modò vivat ſiliquis atque pane ſecundo: modò, ſi unctiùs & meliùs quid incidit, eo veſcatur: à vino ad aquam aut zythum, ab his ad vinum tranſeat. Calidam, frigidam alternis vicibus bibat. Nova noſtrorum hominum potuum genera non reſpuat. Convivetur interdùm. Ex variis menſæ epulis modicè deguſtet, quæ non varietate, ſed luxu nocent. Abſit ut perditiſſimos imitetur Epulones, quorum ſtomachus ea reſpuit, quæ nè mens quidem ceſſat concupiſcere. Quarè ſciat moderatione quâdam hîc opus eſſe, neque ſibi pro ſuâ libidine quævis appoſita vorare licere: Nunquam utilis eſt nimia ſatietas. Intemperantia durior eſt in potione, quàm in eſcâ. Secundas menſas non reformidet

velut illis
Canidia afflaſſet pejor ſerpentibus afris.

Sæpiùs contractè vivat. Poſtremò nihil non tentet, nè quid per neceſſitates ipſi ſit nimiùm inſolens. Semper meminerit ſanitatis tuendæ ſtudium eſſe comeſſe ad frugalitatem.

IV.

UT ſobrietas, ſic & labor fidiſſimus eſt ſanitatis cuſtos; ſcilicet hîc vires adjicit, illa ſuperflua circumcidit. Amborum coitus omnis valetudinis caput & cardo eſt. Affert utique exercitatio præſtantiſſima corpori bona, quæ ſunt caloris inſiti augmentum, excrementorum expurgatio, & ſolidarum partium robur. Unde ſcripſit Hippocrates laborem articulis & carnibus eſſe cibum. Ergo labor omnibus ad ſanitatem juxta neceſſarius eſt. Non ætas, non corpus, non denique temperatura ulla eſt, cui hujus rei neglectus ſit indemnis. Ignaviâ corpus hebeſcit, labore firmatur; illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam facit. Cuilibet exercitationum generi ſuſtinendo aſſueſcat ſanus; ut quodvis meliùs ferat. Senes etſi pro naturæ ſuæ imbecillitate leviſſimis erroribus cedunt, adoleſcentes verò pro virium ingenito robore graviſſimis reſiſtunt, hos tamen inſolitus labor frangit, quem illi, modo huic aſſueverint, non ſolùm ſunt ferendo, verum etiam lubentèr ac multâ cum voluptate ferunt. Laborem non ſuperet cibus, ſed ab illo ſuperetur. Minimè tamen, ubi fames, laborandum eſt. Si

corpus defatigari cœperit, quies lassitudinem statìm levat. Ut frequentiùs exerceri utilissimum, ità abstineri laboribus interdùm necessarium est. Habet quies sua privatìm haud spernenda commoda, ut quæ detentis intùs sanguine, calore, ac spiritu concoctionem adjuvet. Nimirùm sub hac alimenti concoctio, sub labore distributio magìs vigent. Quiescere interdùm opus est, ne, cum præter morem feriandum est, insolito otio corpus torpescat. Vigilia edax: somnus visceribus alimentum. Somni jejunum attenuant, plenum vigiliæ. Vigilans exteriùs calidior, intùs frigidior: Dormiens contrà. Interdiù vigilandum, noctu dormiendum. Statam hanc vigiliæ & somni alternationem plurima sæpè interturbant. Idcircò qui bonam noctis partem duxit insomnis; manè redormiat. Meridiari assuescat, ne somni tunc temporis capiendi dissuetudine lædatur.

V.

ANIMI pathematis hominem vacare votum est. Hæc temperare & moderari res ardua, plenaque difficultatis. Etiamsi moderata sint, nullus horum ferè usus, præterquàm gaudii. Spiritus & sanguinem variis modis oppugnant & exercent. Nam modò incitant, modò retardant: modò inflammant, modò refrigerant. Timore & tristitiâ spiritus atque sanguis torpent & intrò revocantur, undè fit ut timentibus & mæstis extrema frigeant. Contrà verò in irâ ambo fervidiores ebulliunt, confertìmque foràs ad cutem emergunt. Gaudio, profuso scilicet, effunduntur. Istis mentis emotionibus mirè corpus convellitur; quantò perniciosiùs id contingit, si præceps sit transitus ab uno animi pathemate ad aliud; plurimùm namque & repentè corpus movere periculosum est. Indè fit ut, quem res secundæ plus nimiò delectaverunt, mutatæ quatiant. Itaque sanus & sapiens in gaudio aptet idonea tristitiæ; speret infaustis, metuat secundis alteram sortem benè præparato pectore. Æquam rebus in arduis mentem servet, ut & in bonis à profusâ temperatam lætitiâ. Nusquam sit immemor tempus esse ridendi, tempus flendi. Sic rerum expertus vicissitudines, ab his minus ferietur! adeò in variis consuescere multum est!

Ergo sano, varium vitæ Genus.

Proponebat Parisiis ÆGIDIUS ADAM, Constantiensis, Baccalaureus Medicus. A.R.S.H. 1709.

Typis Viduæ Francisci Muguet, Regis & Facult. Medicinæ Typographi.